


LIBRARY OF
THE UNIVERSITY
OF ILLINOIS
FROM THE LIBRARY OF
CONTE ANTONIO CAVAGNA
SANGIULIANI DI GUALDANA
LAZELADA DI BEREGUARDO
PURCHASED 1921

STATUTUM,

ET

ORDINES

VEN. COLLEGII DD. RATIONATORUM MEDIOLANI.




MEDIOLANI, MDCCXLIV.

In Curia Regia, per Joſeph Richinum Malateſtam Regium, Ducalemque Typographum.

EXC.^{MO} SENATUI MEDIOLANENSI

Abbates, Dignitates, ac cæteri

RATIONATORUM COLLEGII ALBO ADSCRIPTI.





UT ſumma animi noſtri ſollicitudine, pro Reipublicæ bono erectum in hac Urbe Rationatorum Collegium, Excelſæ ORDINIS VESTRI protectionis decus munificen-

tiſſimè nactum fuiſſe nobiſmetipſis gratulabamur; nil præſtantiùs, nil honorificentiùs expendimus, quàm indictas eidem leges permaximo integerrimi, ac nunquam interituræ memoriæ Viri Ampliſſimi Patris S. R. I. Comitis Don Pauli Caroelli delegati ſtudio compoſitas, dein eo referente Supremi Senatus Conſulto edito die 18. Septembris 1742. approbatas, & confirmatas Potentiſſimo Excellentiſſimi Senatus nomini Sacras fore voluiſſe. Hoc erga præ-

liba-

libatum ORDINEM perenne obſequii monumentum benigno, & æquo animo a vobis AA. PP. excipiendum ſperamus; maximè dum perſpicimus ſcientiæ noſtræ qualitates, quibus perfecta unicuique immutabilis redditur Juſtitia VOBIS SAPIENTISSIMIS privatarum fortunarum, vitæ, & necis ARBITRIS apprimè convenire. Quoniam igitur noſtris clementiſſimè precibus indulgentes, immediatæ Excellentiſſimo Senatui ſubjectionis prærogativam a non

levi-

levibus interjectis difficultatibus vindicatam Collegio nostro impertiri non estis dedignati, beneficia addite beneficiis, ac Statuta Collegii in lucem primum nunc prodeuntia TANTO MECŒNATE in ævum insigniri permittite. D.O.M. nostris annuat votis, & vos AA. PP. POTENTISSIMÆ REGINÆ Dominæ faustissimo Ministerio Collegii nostri perenni incremento, subditorum omnium utilitati, sospites, incolumes, felicissimos quamdiutissimè servet.

UNI

UNI TRINOQUE DEO,

AC

IMMACULATÆ DEIPARÆ VIRGINI,

NECNON

DIVO CAROLO BORROMÆO TUTELARI.



STATUTUM, ET ORDINES VEN. COLLEGII DD. RATIONATORUM MEDIOLANI.

CAP. I.

QUod in erectione Collegii, omnes, qui in ejuſdem Albo adſcribi prætendent, teneantur prò hac prima vice probationes præſtare coram Illuſtriſſimo D. Senatore delegando, & illi, qui jàm publicè conſiderati ſunt Rationatores idonei, & actu Officium Rationatoris

ris publicè, & laudabiliter exercent nullum examen ſubire debeant, & docto de aliis qualitatibus, & requiſitis, ut infra, adſcribantur in dicto Albo Collegii; ità tamen, ut prò hac prima vice benignius quoad qualitates, & requiſita agatur cum iis, qui intuitu alicujus conſpicui muneris, aut Officii Rationatoris diù cum laude publica exerciti digni videantur, quod ratio de iis habeatur arbitrio D. Senatoris delegandi.

C A P. I I.

QUod excludantur a Collegio illi, qui non habeant Domicilium in Civitate Mediolani, aut Ducatu ſub pœna nullitatis ipſius admiſſionis: Si quis autem habitaverit per annos viginti continuos animo commorandi, ex hoc Capite non excludatur.

C A P. I I I.

QUod per erectionem narrati Collegii nullum cenſeatur allatum præjudicium cæ-

teris

teris Rationatoribus, qui non erunt de gremio dicti Collegii, nec acquisitum ullum Jus privativum illis, qui erunt adscripti in dicto Collegio, ità quod omni tempore valeant ad quodvis Rationatoris munus, & officium tàm publicum, quàm privatum omnes tàm Collegiati, quàm non Collegiati promiscuè concurrere, & ità ut unicuique via remaneat aperta in arte continuandi, & in illa proficiendi, absque eo, quod aliquo afficiatur impedimento.

CAP. IV.

QUod sit peculiaris instituti ejusdem Collegii præstare operam in concernentibus exercitium Rationatoris, Viduis, Pupillis, aliisque Personis miserabilibus absque ulla mercede, & erit arbitrium Abbatum sedentium in quocumque casu, & tempore delegare quem maluerint ex Junioribus ad operam præstandam dictis miserabilibus.

CAP. V.

QUod nullus admittatur in Collegio, nisi in latinis saltem litteris sit sufficienter instructus, arithmeticam facultatem probè calleat, & œconomici, mercatoriique commercii Regestorum sit Magister, quæ omnia resultare debebunt ex informationibus sumendis, & in examinibus a Candidato suscipiendis, ut infra.

CAP. VI.

QUod cooptandi in Collegio Rationatorum sint bonæ vocis, & famæ, ac honestorum morum.

CAP. VII.

QUod sint nati ex legitimo matrimonio saltem subsecuto; si verò sint legitimati, liceat adire Senatum Excellentissimum prò opportuna dispensatione.

CAP. VIII.

QUod cæteri non legitimi, vel non legitimati excludantur a Collegio, nisi virtute excel-

excellens, ſit Petens, qui tamen non admittatur, niſi accedente Senatus Excellentiſſimi diſpenſatione.

CAP. IX.

QUod Petens, & ejus Pater infamiæ maculam paſſi non ſint, & artem vilem, seù reprobam non exercuerint, nec in vili Miniſterio etiam magnis Viris, & Equitibus inſervierint.

CAP. X.

QUod idem intelligatur de Avo Paterno, quatenus non deceſſerit ſupra triginta annos, ob quorum lapſum in oblivionem redactus ſit defectus vilis exercitii; omninò tamen excluſo Petente, quatenus detegatur in Avo macula infamiæ, licèt etiam deceſſerit ſupra dictos triginta annos.

CAP. XI.

QUod polleat Petens facultatibus ſaltem annui redditus librarum quatuor centum

Imperialium, vel ſaltem percipiat annuum certum ſalarium, ſeù determinata emolumenta annuatim in conſimili ſumma, & quò ad qualitatem dictorum emolumentorum ſtandum judicio, ſeù arbitrio Collegii, & juxtà circumſtantias Perſonarum, & temporis.

CAP. XII.

QUod nullus admittatur in Collegium, qui non compleverit ætatem annorum vigintiquinque, & per quinquennium integrum reſpectu eorum, qui petierint poſt jàm erectum Collegium, ad illud admitti, non militaverit ſub diſciplina alicujus probati, & idonei Rationatoris etiam non Collegiati, cujus militationis continuæ atteſtationem juratam teneatur exhibere Abbatibus, & Collegio; Hoc tamen intelligatur de Tyronibus.

CAP. XIII.

QUod omnes Rationatores, qui cooptati fuerint in Collegio deſcribantur in Albo

Colle-

Collegii adſervando in ejuſdem Archivo, prævio debito juramento a quolibet eorum præſtando tactis &c., & pro viribus jura Collegii tueatur, Statuta, & Ordines obſervet.

C A P. XIV.

QUod Protector Collegii ſit ſemper alter ex Ampliſſimis DD. Senatoribus à Senatu Excellentiſſimo deputandus.

C A P. XV.

QUod approbatis per Senatum Excellentiſſimum præſentibus Statutis, & Ordinibus convocandum ſit primum Collegium, & prò hac tantum vice coram dicto Illuſtriſſimo D. Senatore delegando cum interventu illorum omnium, qui juxtà requiſita ut ſupra capaces reputati fuerint pro ingreſſu ejuſdem Collegii de tempore erectionis, ibique per ſchedulas ſecretas eligendi erunt duo Abbates, duo Conſervatores Ordinum, duo Syndici, & Theſaurarius.

CAP.

CAP. XVI.

QUod Abbates digniore loco ſedeant, mox ad eorum latus Conſervatores Ordinum, poſtea Syndici, & ultimo loco Theſaurarius.

CAP. XVII.

QUod Abbates ſedeant per annum unum continuum, & ità etiam Syndici Collegii.

CAP. XVIII.

QUod Conſervatores Ordinum electi ſedeant quoad vixerint, ſi ità Collegio viſum fuerit.

CAP. XIX.

QUod Theſaurarius ſedeat, & exerceat munus ſuum, & ipſe per annum continuum, niſi ex arbitrio, vel prò bono Collegii fuerit de anno in annum prorogatus.

CAP.

CAP. XX.

QUod eligatur pariter Cancellarius, & Vice-Cancellarius ejuſdem Collegii.

CAP. XXI.

QUod eligatur etiam Oſtiarius, qui inſerviat Abbatibus, Officialibus, & Collegio in rebus Officii, & pro monitionibus deferendis occaſione convocationis Collegii.

CAP. XXII.

QUod erecto Collegio, & electis ejuſdem Officialibus, prout infra, omnes, qui poſthàc Collegium petierint teneantur in ſcriptis, & perſonaliter comparere coram ipſo Collegio, & Officialibus ſedentibus, ac petere in Collegiatos Rationatores admitti, eodemque tempore probationes requiſitorum ut ſupra præſtare, ac periculum facere ſuæ peritiæ examini ſeſe ſubmittentes coram Officialibus diſcretè, & religiosè interrogantibus, niſi ex eorum-

dem

dem Officialium arbitrio, attenta cognita præstantia Petentis, eos a prædicto examine eximi placuerit.

CAP. XXIII.

QUod teneantur omnes cooptandi tàm in erectione, quàm post erectum Collegium effectivum depositum facere in manibus Thesaurarii ejusdem Collegii librarum centum quinquaginta Imperialium, quæ cedere debebunt ad usum dicti Collegii.

CAP. XXIV.

QUod facta per Petentes dicta comparitione, & petitione, factoque deposito convocandum sit Collegium, & in illo proponenda instantia Petentis, super qua decernendum sit, ut assumantur informationes de requisitis superius recensitis; mox deputandi erunt duo ex Congregatis, ut secretas assumant informationes de præmissis. His peractis cum interstitio temporis saltem unius mensis, convocandum erit secun-

cundum Collegium, in quo per Officiales ſedentes in primis recognoſcantur reſultantia ex informationibus per Cancellarium Collegii coram Abbatibus ſumptis, & audiantur Delegati prò ſecretis informationibus, & ubi nihil in contrarium emergat introducatur in Collegium Petens, & ei fiat examen in arte Rationatoris per bina, vel tria quæſita, prout ſupra in Capitulo vigeſimo ſecundo, quibus in ſcriptis teneatur Petens reſpondere coram Officialibus Collegii; mox eo recedente recognoſcatur per Collegium, an ritè, & rectè, & ex peritia reſponſum fuerit; & ubi omnia benè proceſſerint denuò introducatur in Collegium, & in ejuſdem Poſſeſſionem admittatur, ſecus verò devenietur ad decretum, vel prò excluſione, vel prò ulteriori deliberatione, prout caſus expoſtulabit, retento favore Collegii depoſito, de quo ſupra; Ubi verò ex informationibus ut ſupra ſumptis aliqua emergant contra Petentem, eidem prius communicanda erunt in ſcriptis, & audiendæ ejus defenſiones.

CAP. XXV.

QUod nullus imposterum eligatur in Officialem, nisi post lapsum quadriennii a die eorum cooptationis in antea decurrendi, sub pœna nullitatis dictæ electionis.

CAP. XXVI.

QUod Abbates, & Syndici Collegii, qui per tempora erunt non possint iterùm eligi in Officiales ejusdem Collegii, nisi intercesserit saltem quadriennium post expletum respectivè eorum officium.

CAP. XXVII.

QUod idem intelligatur de Thesaurario, quatenus ex arbitrio Collegii, vel pro bono ipsius Collegii non confirmetur, prout dictum est supra.

CAP. XXVIII.

QUod electi in Conservatores possint etiam eligi in Abbates, subrogato tamen altero

per Collegium ut ſupra eligendo in Conſervatorem prò tempore, ſcilicet prò illo anno, quo dictus Conſervator munus Abbatis exercebit.

C A P. XXIX.

De Officio Abbatum.

ABbatum unus ſit Senior, alter verò Junior, qui ſimul poteſtatem gerant, ac munere fungantur; Ipſi eligantur per ſchedulas ſecretas Congregatorum in Collegio indicta die, & prævia monitione cum expreſſione cauſæ omnibus Rationatoribus Collegiatis tranſmittenda, & qui prævaluerit in numero ſuffragiorum intelligatur Senior, alter verò, qui proximus erit, Junior, quæ electio valeat majori ſuffragio præſentium: Dicti Abbates electi tenebuntur jurare antequam poſſeſſionem nanciſcantur ſe officium integrè geſturos, & utilitatem, ac decus Collegii promoturos. Demum Abbates rebus gerendis interſint, ſimulque cum Conſervatoribus Ordinum, & Syndi-

cis, vel ſaltem majori parte prout è re Collegii fore exiſtimaverint prò eorum prudentia providebunt.

C A P. XXX.

De Officio Conſervatorum Ordinum.

COnſervatores Ordinum erunt duo, & eligendi erunt ut ſupra a Collegio ex prudentioribus Viris ejuſdem Collegii, qui poſtquam electi fuerint teneantur juramentum præſtare coram Abbatibus, prout deſuper expreſſum extat; & inſuper curabunt ut Ordines, & Statuta Collegii ſerventur, non tantum occaſione cooptationis Candidatorum in Collegio, ſed etiam in pertractatione cujuſcumque negotii, & cauſæ ipſius Collegii, & permanere poterunt in eorum munere quoad vixerint, ſi ità videbitur Collegio; In caſu autem remotionis, aut mortis, iterum convocetur Collegium prævia monitione, cum expreſſione

cau-

causæ, & deveniatur ad electionem alterius prout dictum est supra; Insuper erit muneris Conservatorum recognitio scripturarum Petentium, postquam sumptæ erunt informationes, quæ a Cancellario transmittendæ erunt per Ostiarium alteri ex dictis Conservatoribus, ut super iisdem in scriptis votum suum ædat; & servandus erit Ordo in transmittendis dictis scripturis alternativè, nempe primo ad Seniorem prò primo Petente, ad Juniorem prò secundo Petente.

C A P. XXXI.

De Officio Syndicorum.

SYndici pariter erunt duo a Collegio eligendi eodem actu, & postquam electi fuerint Abbates, & ille, qui in numero schedularum ut supra præerit alteri, erit primus Syndicus, alter verò secundus; Isti itidem, ut dictum est de Conservatoribus Ordinum consilia, sensusque suos alternativè pandere debent in scriptis, visis Scrip-

turis

turis Petentium, utrum admittendi ſint, necne in Collegium Petentes, relevando cauſam, ſeù cauſas admiſſionis, vel excluſionis. Vigiles ſint prò tuitione jurium Collegii, & ubi detegatur aliquod præjuditium incontinenti monere debebunt Abbates prò opportunis providentiis; Inſuper in controverſiis, ac litibus, quas Collegio oriri contingat teneantur ipſi illis perſonaliter incumbere, & comparere coram quoqq; Judice, & Tribunali etiam ſuperiori, prò tutamine jurium, & prærogativarum Collegii; & denique illorum munus ſit, ut in omnibus, quæ ad honorem, & utilitatem Collegii pertinent Abbatibus in conſilio ſint.

C A P. XXXII.

De Officio Theſaurarii.

THeſaurarius eligetur eodem tempore, quo eligentur cæteri Officiales, qui poſſit tamen confirmari, quatenus Collegio ità videatur pro bono ipſius Collegii: Ejus officium

ficium erit omnes proventus, & deposita recipere, ac penès se retinere, rationes conscribere, & omnia fideliter, & diligenter curare, & custodire, & si quid Abbates, & Syndici solvendum mandaverint ex fide dinumeret. In fine autem cujuslibet anni rationes accepti, & expensi Collegio reddere teneatur, & proponantur in Collegio statim ac facta fuerit renovatio Officialium, & ubi nil emergat in contrarium, teneatur Collegium rationes approbare, & opportunam liberationem Thesaurario facere per ordinationem a Cancellario registrandam.

C A P. XXXIII.

De Officio Cancellarii.

ELigendus erit Cancellarius, qui non amoveatur ab ejus officio nisi in munere minus fidelis detegatur. Insignitus sit Caracteribus Notarii, & Causidici Collegiati, ubi aliter non videatur Collegio, qui valeat etiam in controversiis, & litibus judi-

dicialibus patrocinium præſtare Collegio; Eligendus erit quoties caſus evenerit per ſuffragia ſecreta, vel prout videbitur Collegio, nominatis prius per Abbates ſedentes omnibus concurrentibus, ut Congregati deliberare valeant, in quem maluerint eorum arbitrium collocare pro bono Collegii: Muneris erit dicti Cancellarii debitas informationes, ut ſupra aſſumere eorum, qui in Collegio cooptari petierint, ordinationes Collegii conficere, & conſcribere in libro ad hunc effectum parato, Archivium cuſtodire, & ei prohibitum erit Exemplaria ejuſdem Archivii edere, niſi cum licentia in ſcriptis dictorum Abbatum; & demum in omnibus cauſis, & controverſiis, quæ oriri poſſint Collegio, ejus patrocinium præſtare, cui pro mercede, & emolumentis correſpondebitur, quod a Collegio, recognitis ejus laboribus arbitratum fuerit prò condigno.

CAP. XXXIV.

De Officio Vice-Cancellarii.

ELigetur Vice-Cancellarius, prout dictum est de Cancellario, qui sit Notarius, & ejus Provincia erit in sollicitandis caussis, & litibus, quæ Collegio contingere possint, in coadjuvando Cancellario in eo, quod respicit exercitium Cancellariæ, & facere ea omnia, quæ ad munus Sollicitatoris pertinent, cui pariter a Collegio respondebitur merces scripturarum, & laborum, quæ ex condigno ab ipso Collegio adjudicata fuerit.

CAP. XXXV.

De Officio Ostiarii.

OStiarius pariter eligetur, ut supra ab ipso Collegio, & ejus officii erit inservire Abbatibus, & Officialibus, ac integro Collegio in iis, quæ ad Collegium spectabunt, monitiones deferre prò convocationibus,

Claves Collegii custodire, ac ejusdem curam habere, Abbatum mandata, quoties ei injuncta fuerint diligenter exequi, & in casu inobedientiæ, & negligentiæ arbitrium semper sit Collegii illum ab officio removere, & alterum sufficere.



Post



POst condita Statuta cum animadverteret Collegium Rationatorum, quanti interſit Reipublicæ Peritos etiam in hac Arte habere, & tales, qui bene impleant Provinciam ſibi commiſſam, quod aſſequi non aliter poſſent, niſi ea Lex omnibus indicta fuiſſet, ut nemo admitteretur ad munera publica, vel judicialiter eligeretur, niſi qui facto artis periculo Collegii approbationem obtinuiſſet. Hanc ipſam Legem imploravit Collegium a Senatu Excellentiſſimo per ſequentes Preces:

P. R.

EXperientia docet quotidie parùm intereſſe Reipublicæ introduci artes tam ingenuas, quam illiberales, niſi ea Magiſtratuum cura ſit, ut introductæ vigeant, flo-

reantque, ne aut vetuſtate temporis obſoleſcant, aut hominum tarditate, atque ſocordia, minus, quam par ſit, diligenter exerceantur (1). Hinc ubique terrarum conſtituta Collegia, quæ artibus augendis expoliendiſque auxiliantur mirum in modum, quorum ideò finis proximus eſt, ut *Ordo inter Artifices, & Opifices ſervetur, Artes, & Opificia ad utilitatem publicam ritè, & rectè exerceantur, confuſiones Artificum evitentur* (2). Conſtant enim Peritiſſimis Hominibus, qui reliquis præſunt tamquam Magiſtri, ſuoque ſtudio, magno adjumento ſunt, ut artes, quas profitentur, politius perfectiuſque quotidie proferantur, & veluti e ſpecula proſpiciunt ſolliciti Obſervatores, ne quid per imperitam earumdem tractationem detrimenti capiant. Quamobrem eadem Collegia non ſolum inſerviunt excipiendis Artium Profeſſoribus, ſed diligenter cu-

(1) *Domat Preface aut droit public = La ſeconde vêuë du Govermement conſiſte a faire fleurir dans un etat les ſciences, & les arts afin de mettre toute ſorte de perſonnes en etat non ſeulement de ſe rendre capables de leurs profeſſions, mais de s'y perfectionner, & de s'acquiter exactement de leurs fonctions, & de leurs devoirs.*

(2) *Friſtch. p. 3. tract. 12. cap. 6. num. 1.*

curant, ut ii etiam, qui Collegio adſcribi nolunt, aut nequeunt, artem ipſam rectè exerceant, atque laudabiliter; Quam utilem perſanè, & a primis uſque temporibus ductam conſuetudinem Urbs etiam hæc noſtra recepit, effecitque, ut ſuum eſſet Medicis Collegium, ſuum Cauſidicis, ut alia miſſa ſint, quæ in mercatura, & quæſtuoſa operum manufactorum tractatione verſantur: nemo autem ſe Cauſidicum, vel Medicum offerre Reipublicæ poteſt, qui vel non dederit nomen Collegio, vel certum ejuſdem Collegii judicium non ſubierit.

Quod cum viderent Calculatores, qui Rationatorum nomine appellantur, optimo planè conſilio ſuum quod deerat, & ipſi Collegium inſtituere voluerunt, quod auſpicante Senatu M. V. fauſtiſſimum ſuperioribus annis exordium habuit. Verum equidem eſt, quod peculiari inter alia Statuto (3) cavetur,

(3) *Cap. 3. Quod per erectionem narrati Collegii nullum cenſeatur illarum præjudicium cæteris Rationatoribus, qui non erunt de gremio dicti Collegii, nec acquiſitum ullum jus privativum illis, qui erunt adſcripti in dicto Collegio, ità quod omni tempore valeant ad quodvis Rationatoris munus, & officium tàm publicum, quàm privatum omnes*

tàm

vetur, ne cuiquam per hanc Collegii institutionem ejusdem artis exercendæ libertas imminuatur, quod cum in eam partem intelligi possit, ut omnibus liceat pro arbitrio artem profiteri, quin ejus periculum facturi Collegio se se exhibeant, seriò animadverterunt Supplicantes optimum esse occurrere huic opinioni, & videre ne quisquam ad Publicum Calculatoris exercitium vocari possit, nisi Collegio suam in agendo probaverit idoneitatem, ex quo quanta porrò utilitas toti Provinciæ, & quam maxima oborietur? quæ verò incommoda e medio auferentur!

Illud apprimè videt M. V., quod si negotium aliquod deferatur ad imperitum Calculatorem, non expediet illud, sed implicabit, & lites ortas ex obscuris Negotiatorum, Sociorumque rationibus, vel errando cum alterius injuria, & damno explicabit, vel infinito Partium sumptu longius protra-

tàm Collegiati, quàm non Collegiati promiscuè concurrere, &ità ut unicuique via remaneat aperta in arte continuandi, & in illa proficiendi, absque eo quod aliquo afficiatur impedimento.

trahet confundendo. Itaque bonum Reipublicæ postulat æquo jure, ut etiam in hac arte liberali sint, qui curent de progressu, & peritia eorum omnium, qui ad illam accedere, & huic operam dare suam publicè volunt, *quia alias præjudicium, & damnum Reipublicæ inferretur, si imperiti ad exercendam artem, quam nondum perfectè didicerunt, admitterentur* (4). Verum enimverò duplex est nunc temporis Calculatorum genus: unum est eorum, qui in publico munere versantur, absit autem ut illi ad hodiernam trutinam revocentur, qui loco periculi communem habent totius Urbis existimationem; satis enim est eos Collegio adscribi, ut universalis sit Statutorum observantia, ac de novo adscribendi jam expertos satagant æmulari: alterum illorum est, qui Collegio non adscripti, judiciis adesse, & publica munera imposterum obire cupiunt; de his quæritur, ut Collegium cognoscere possit, & diligenter perpendere, utrum illi idonei, aut minus ad hæc officia peragenda exer-

---

(4) *Fristch. itid. cap. 5. num. 8.*

exercitati, & apti videantur. Nec injuria equidem; nam quod ingredi volentibus Forum, & Medicinam grave non est, videlicet, quod Medici, & Causidici facere non detrectant, asperum Calculatoribus videri non debet.

Quamobrem Abbas, & Syndici Vener. Rationatorum Collegii humil. M. V. Serv.

Humillime petunt a M. V. decerni ne quisquam ad aliquod Publicum Rationatoris munus admitti possit, vel judicialiter eligi quin prius a Collegio fuerit approbatus, vel docuerit de actuali hodierno publico exercitio: facta tamen sola medietate depositi, & expensarum, quæ fieri solent ab iis, qui in Collegium, cooptantur juncta tabella approbatorum forensi diario, quod &c.

Subscript. J. M. Montorfani.

Super his precibus prodiit Decretum 2. Aprilis 1759.

L. D. F. Citatis per Edictum interesse habentibus mox audita Illustri Civitate, omnia ad Fiscum edoctum, ut subjiciat, cujus Voto habito remittantur ad Magnificum Reg. March. Cavalli, qui verbum faciat.

Im-

Impletis omnibus per Senatum indictis res, iterum ad Senatum ipsum delata est; Qui Senatus Consulto diei 18. Julii 1760. sequentem Sententiam protulit:

Referente Magnifico Marchione Regente Cavalli Censuit Senatus neminem ad publicum Rationatoris munus admittendum vel judicialiter eligi posse, nisi prius fuerit a Collegio approbatus pro peritia, vel docuerit de actuali hodierno publico exercitio, moderato tamen ad libras sexaginta Deposito, quod in summa librarum centum quinquaginta fieri debet ab iis, qui in Collegium cooptari petunt, servata eadem proportione pro aliis expensis; salva tamen facultate cuilibet pro privatis occurrentiis, utendi opera cujuscumque Rationatoris sibi benevisi, etiam non collegiati, nec approbati, & Tabellam Approbatorum forensi Diario adjungendam.

Hujus Senatus Consulti data fuit notitia omnibus, quorum interest per Edictum sequens:

EDITTO.

DAl Senato Eccellentissimo a petizione de' Signori Abati, e Sindaci del Ve-

nerando Collegio de' Ragionati di questa Città, e Ducato di Milano, con Senato Consulto del giorno 18. Luglio prossimo scorso fu ordinato come segue:

Neminem ad publicum Rationatoris munus admittendum, vel judicialiter eligi posse, nisi prius fuerit a Collegio approbatus pro peritia, vel docuerit de actuali hodierno publico exercitio, moderato tamen ad libros sexaginta Deposito, quod in summa librarum centum quinquaginta fieri debet ab iis, qui in Collegium cooptari petunt, servata eadem proportione pro aliis expensis; salva tamen facultate cuilibet pro privatis occurrentiis, utendi opera cujuscumque Rationatoris sibi benevisi, etiam non collegiati, nec approbati, & Tabellam Approbatorum forensi Diario adjungendam.

Perciò in esecuzione del succennato Senato Consulto, e d'ordine dell' Illustrissimo Signor Marchese Reggente Senatore Don Carlo Maria Cavalli Delegato col presente Editto si dà notizia a chiunque appartiene, ed aspetta, affinchè resti inteso delle superiori determinazioni dell'Eccellentissimo Se-

nato per l'eſecuzione di quanto reſta ordinato come ſopra, e non altrimenti ec.

Della pubblicazione, ed affiſſione del preſente, che dovrà pubblicarſi, ed affiggerſi a' Luoghi ſoliti di queſta Città, ſi darà piena fede alla relazione di qualunque pubblico Servidore.

Datum Mediolani die Jovis vigeſimaoctava menſis Auguſti anno MDCCLX.

Signat. CAVALLI.

Subſcript. J. C., & C. C. Franciſcus Hieronymus Corius.

Examin. Joſeph Carraria approbatus.


Controſcript. Ernandez Cancellarius.

1760. *Die Lunæ prima menſis Septembris.*

Retulit Joachim Bigattus publ. Serv. Communis Mediolani P. O. P. S. Stephani in Brolio Mediolani ſe die Sabbati, quæ fuit dies trigeſima proximè elapſi menſis Auguſti ex ordine, & ad inſtantiam, de quibus ſupra, iviſſe ad Officium Statutorum Communis Mediolani, ibique reperto Domino Gubernatore ejuſdem Officii eidem perſona-

naliter intbimasse, dedisse, & dimisisse copiam unam retroscripti Edicti, alias copias similes ejusdem Edicti affixisse ad Scalas P. P. B. Nov. Communis Mediolani affixasque dimisisse, necnonet id pariter egisse ad Lobiam de Oxiis, aliosque locos solitos ubi similia affigi solent præsente semper, & publicante Joanne de Medicis Tubatore Civitatis Mediolani pro ut &c., & ita &c.

Subscript. J. C. Paulus Bernardus Paganus de Collegio Mediolani Notarius, recepit in fidem &c.



TAXA



T A X A

PRO MERCEDE DD. RATIONATORIBUS TAM COLLEGIATIS, QUAM NON COLLEGIATIS PRÆSTANDA, ET SERVANDA JUXTA SENTENTIAM SENATUS EXCELLENTISSIMI DIEI 18. SEPTEMBRIS 1742.

Diſtinguendæ ſunt operationes Rationatorum inter materiales, & intellectuales.

MATERIALI OPERAZIONI

SAranno tutte quelle, che dipenderanno unicamente dalle comunali di Aritmetica contazione, o di ſcritturazione di partite in

in qualunque dimoſtrazione, diſtinzione, o giro di Scrittura anche doppia.

OPERAZIONI INTELLETTUALI

SAranno tutte quelle, che il Ragionato dovrà compire per conciliare la maſſima de' Conti, oppure per ſindacare le partite di eſſi, per ammettere quelle da ammetterſi, ed eſcludere quelle da riprovarſi in forza de' riſpettivi Documenti, intendendoſi, che il Salario, come in appreſſo ſtabilito, ſi debba ſopra quelle ſole partite, che avranno avuto biſogno delle operazioni ſin qui mentovate.

Prò materialibus nullum deberi ſalarium, verum mercedem deberi librarum quatuordecim pro ſingula dieta; Dietas autem conſtituendas pro ſingula, impendio ſex horarum, quas impiger, & expertus Rationator inſumeret, judicio Abbatum, & Syndicorum Collegii (ſeù majoris partis eorum, qui intervenerint) in caſu diſcordiæ.

Prò intellectualibus verò, ultra dietas ut ſupra declaratas deberi ſalarium in rationem unius prò ſingulo centenario ſuper ma-

jori

jori quantitate debiti, vel crediti, ità quod prædictum ſalarium excèdere non debeat ſummam librarum mille biſcentum Imperialium.

Prò ſeſſionibus formaliter, & regulariter habendis, deberi libras ſeptem.

Prò dietis extra Civitatem deberi libras quatuordecim pro ſingulo Rationatore, & libras ſeptem prò Coadjutore, ultrà ſumptus victus, & itineris.

Quoad relationes conſultivas, ſervandam regulam dietarum.

SANXIT QUOQUE SENATUS EXCELLENTISSIMUS IN EADEM SENTENTIA SUB DIE 27. SEPTEMBRIS 1742. UT SEQUITUR:

„QUoad exactiones mercedis pro judicia„libus operationibus de mandato pera„ctis Rationatores uti debere juribus „ſuis prò eorum ſatisfactione, juxtà taxam „ſummariè coram Judice cauſæ; Prò opera„tionibus autem extrajudicialibus de Partis, „ſeù

„ſeù Partium mandato, agere debere ut ſu-
„pra coram Judice Ordinario.

„Delegandum ſuper emergentibus, quæ „occurrere poſſint, Collegium, necnon exe-„cutionem ſancitorum per Senatum reſpi-„cientia Magnificum Comitem Senatorem „Caroellum, qui in omnibus provideat prout „ſibi, facto etiam verbo in Senatu, ſi ei vide-„bitur.

„Signat. Carlius, etiam pro Egregio „Stampa, & ſigillat. &c.

